

HONORATISSIMO
RESPONDENTI

S. D.

GEORG. FRID. MEIER.

Finitis laboribus academicis, quibus animum egregio eruditionis adparatu instruxisti, honores in philosophia summos, *RESPONDENS HONORATISSIME*, ambis liberaliter. Hanc ob rationem, ab ordine philosophorum amplissimo, modeste petisti hos honores academicos. In examine solemnique questionibus nostris satisfecisti abundanter, et nobis sufficientissime probasti, *TE* non solum fideliter philosophiam didicisse, sed etiam magnos in eadem fecisse progressus. Elaborasti denique hoc scriptum, in quo pauca tantum mutavi, quodque solemnique conspectu publice defender. Quo facto, summos honores philosophicos et iura philosophiae magistri, ex decreto facultatis philosophicae et publica auctoritate, *TIBI* conferam, ut nobilius in posterum habeas motuum, et eruditionem *TVAM* semper strenue augendi, et patriae aequae ac reipublicae litterariae insigniter inferuendi. Haec omnia, quae honorum votorum materiam mihi suppeditant largissimam, *TIBI* ex animo et sincere gratulor. Abi in patriam redux eruditione, virtute et honore locupletior. Nunquam discere desine. Philosophia utere ad propriam et publicam veram utilitatem promouendam. Et si bene de ecclesia, de reipublica litteraria, de patria, de tuis et de *TE*metipso mereberis, memoriam mei quoque mente recolas, meorumque conaminum, quibus forsitan *TIBI* non fui plane inutilis. Nunquam non *TE* amabo, commoda *TVAM* quavis occasione data promoturus. Vale. Dedi in Fridericiana Regia d. X. Mart. MDCCLXIII.

VIRO